



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Joannis Commirii E Societate Jesu Carminum Libri Tres**

**Commire, Jean**

**Lutetiæ Parisiorum, 1678**

Ad Illustrissimum Ecclesiae Principem. Gabrielem De Roquette Aeduorum  
Episcopum. Symbolum. Rupes ac stellae scuto ejus gentilitio impressae.  
Lemma. Cum solido fulgor.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-14818**

AD ILL. V. CLAUDIUM PELLOT  
SENATUS ROTHOMAGENSIS PRINCIPEM.  
SYMBOLUM.

*Sol in libra.*

LEMMA.

*Omnibus ex æquo.*

**C**Ū M subit æthereæ sidus spectabile libræ,  
Et cœli medio Phœbus in orbe sedet:  
Omnibus ex æquo luces dispensat & umbras,  
Temperat & noctem lance diemque pari.  
Nec magis auriferos pronus declinat ad Indos,  
Quam versus Scythicæ barbara tespua plagæ.  
Hoc specimen , Pellote , tuæ mirabile in omnes  
Justitiæ nobis mystica signa ferunt.  
Non fortuna tuam flectunt , non munera libram:  
Ac te jus unum præside pondus habet.

AD ILLUSTRISSIMUM ECCLESIAE PRINCIPEM.

GABRIELEM DE ROQUETTE  
ÆDUORUM EPISCOPUM.

SYMBOLUM.

*Rupes ac stellæ scuto ejus gentilitio impressæ.*

LEMMA.

*Cum solido fulgor.*

**Q**UOD stellæ summo clypei sub vertice fulgent,  
Statque infra rupes pondere nixa suo:

Pingentis specimen quis credat futile dextræ?  
 Oraci hæc, præful, non levis instar habent:  
 Ingenium moresque tuos effingere vates  
 Non potuit: signis exprimit illa suis.  
 Ignea vis animo est, calor igneus: & tamen isto  
 Ultra æquos fines non potes igne rapi.  
 Præcipites motus gravitas matura coeret,  
 Et luci pulchro fœdere, pondus inest.  
 Fortunent alios errantia sidera, junctus  
 Nos solidi fulgor, flammave fixa regat.

## EMBLEMATA QUATUOR

IN GRATIAM EXIMII CÜJUSDAM ASCETÆ.

*Aquila provocans pullos ad volandum.*

**C**E RNIS ut expassis volitans per inania pennis  
 Fertur, & ales idem sæpe recurrit iter:  
 Atque rudes pullos nido excusisse laborans,  
 Provocat exemplo tendere in astra suo:  
 Et modo blanditias, modo sævos ingerit ictus:  
 Et timidis animos utilis ira facit.  
 Haud secus ignarosque viæ, insuetosque laborum,  
 Prævius ipse, poli scandere templa doces.  
 Quid dubitamus adhuc tanto duce tendere gressus?  
 Credite, quam monstrat, non rudis ille viæ est.

*Hercules Theseum liberans.*

**C**REDITUR Alcides audaci Tartara cœpto,  
 Et penitus cæcæ noctis adisse domos;  
 Theseaque, effractis nodoso robore vinclis,  
 Imperio lætum restituisse suo.

Bb ij